

Dissertatio physiologica inauguralis de dolore / [William Griffin].

Contributors

Griffin, William, 1794-1848.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Moir, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s5ufeasm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

T. 1194
Ex libris Secretatis

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE
D O L O R E :

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GRIFFIN,

Hibernus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVI.

Nos organes agissent ils librement et selon les lois ordinaires de l'organisation, les sentiments qui en résultent sont agréables, peuvent même nous causer un plaisir très-vif; mais nos fonctions sont-elles troublées, nos organes sont-ils blessés, malades, y a-t-il empêchement à leur action: les sensations internes sont douloureuses, et, selon l'espèce d'empêchement ou de lésion, elles ont un caractère particulier. C'est pourquoi la douleur doit être un objet important dans les études du médecin.

MAGENDIE, *Precis Élémentaire de Physiologie.*



DISSERTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

D O L O R E.

AUCTORE GULIELMO GRIFFIN.

DOLOR a temporibus omni hominum memoriâ antiquioribus, inter miseras vitae humanae non modo maximè formidolosus, est sed etiam immerito crudelissimas quibus Providentia nos cruciari statuit. Malum est ex omnibus aliis quod Stoici disciplinae suae de patientiâ universâ difficillimè accommodare potuerant, et quod etiam cultor morum Christianorum hodiernus medicamen amarum dicit, in poculum scilicet gaudiorum et laetitiae injectum, ne a quo pendeat felicitas omnis, neve hanc nunquam in orbe nostro sublunari perfectam esse, obliviscamur. Haec sententia ab errore oritur, in quem fere omnes incidunt, dolorem scilicet cum morbo, cui quidem comes prope inseparabilis adhae-

ret, confundendi. Quae vero cunque difficultas sit in hoc, morbo, scilicet, cum opinione de Benignitate Infinita in omnibus consiliis summi opificis monstrata, conciliando, nil ejusmodi de illo, Dolore nimirum accidere queat.

Si res per se spectentur, nullam necessitatem, ut dolor, potius quam ut voluptas existat, videri fatendum est; si autem in memoriam revocamus, nos sentientes esse, injuriisque et morbis mille objici, vitâque filo adeo tenui nostra potiri, ut mors semper adesse dicatur; nonne omnino saluberrimè praecavetur, ut dolor, quodcunque injuriam aut exitium nobis moliri possit, comitetur et indicet. “ Par la douleur et le plaisir,” dicit MAGENDIE, “ la natura nous porte à concourir à l'ordre qu'elle a établi parmi les êtres organisés.”

Si dolor aliquando adest, ubi nulli utilitati cuivis inservire videtur, miseriaeque pertinacis alicui materia fit, malum est tantummodo solitarium et casu accidens, a norma generali bonum universum ulterius spectante excipiendum. Nullo modo bona doloris melius aestimare poterimus, quam, quomodo nosmet haberemus eo prorsus carentes, cogitando. Si dolor omnis abesset nullam fore expectationem mali praevis

praenunciatricem in aprico est: membra nobis negligentibus vel etiam saepe insciis truncata vel avulsa forent. Consilio bono precibusque amicis spretis, homines in vicis cruribus fractis artubusque luxatis humi serperent; vel epulis intempestivis stadio inflammationis ardentissimo securi et periculi haud praemoniti accumberent. Ubi nullum incommodum sentiretur, nulla remedia quaererentur, donec homines debilitate confecti corruerent; et si profecto tum demum medicus arcesseretur, vix melius sedem, naturamque morbi cognoscere quam aeger ipse indicare, posset. Praeter haec omnia nemo de periculo praemoneretur, et inde existeret vel pavor universus et perpetuo molestus mortis vel de eadem accessurâ securitas perditissima. Amici maximè propinqui et dilecti ad mensas focosque nostros mortui repentinò deciderent, parens fortasse, uxor, vel infans, quorum aliquis forsan servari potuisset, si modo indicium ullum periculi paucis ante horis habuissemus; indicium revera ipsissimum quod dolor praestat.

Sensibus doloris et molestiae plurimos actionis salutaris modos debemus, qui jam adeo consentiunt ut eos ad originem suam referre

negligamus, et hinc tantuli, vel potius nihili aestimatur. Dolor non modo monitor est, saepe non solum morbum indicat, sed ad remedium ducit, imo etiam per vim cogit; neque multum dubito, quin in statu hominum pristino et naturali, medico succedaneum melius sit, quam vulgo crederetur. In fere cunctis externis inflammationibus, iis praesertim membris fractis articulisve laesis ortis, curatio in partes quietas et immotas tenendo, pressuram supervacuam evitando, musculos relaxatos servando, caloremque abducendo, consistit. Hae omnes indicationes plerumque suggeruntur, saepe vi, ab illo ex omnibus nutriculis medentibus maxime vigili, Dolore scilicet suadentur, nisi quidem, theoriis medici operatio ejus interpellatur.

Haud parum mihi mirum videtur, quòd etiam PALEY ille celeberrimus, qui in suo opere praeclaro de Theologiâ Naturali quaedam de Dolore bene annotavit, quique certissime notionem generalem de usibus multis eximiis quibus inservit, habuit, errorem eum cum morbo confundendi non penitus effugerit. Quantae utilitatis sit, certè ignoravit, aliter enim, vix tantam paradoxam proferre coactus esset, quòd

scilicet voluptas vera ab otio subsecuturo sive doloris intermissione orta dolorem praegressum compensare possit; neque porro consilia numinis summi benevola vindicasset, dicendo dolorem non ex consulto institui sed casu accidere. Hunc vero de industriâ institutum esse, nec fortuito accidere, nihil magis comprobatur, quàm quòd dolor omnis desinat, simul, ac fines ad quos institutum esse credamus, non assequendi fiunt—inflammatione, igitur progrediente, dolor paulatim augetur, quasi pro rato periculo attentionem vehementius et instantius postularet; quàmprimum autem gangraena accesserit, nil amplius cruciat; tempus quo remedia aliquid valere potuissent, praeteriit, horaeque vitae, quae adhuc supersunt, paucae, statu, si cum cruciatu praegresso comparetur, quietis effluere sinuntur. Idem de ambustionibus annotandum est, quorum angorem pauci ignorant; si tamen tantae sunt, ut sanitas recipi nequeat, viresque corporis vitam tantummodo per horas aliquot sustinere possint, parum vel nil doloris sentitur.

Dici fortasse queat, dolorem aliquando accidere, nulla nota praeterea praesente, quare affectionem quamlibet morbosam subesse credere li-

ceat, et ubi curatio in partis ipsius sensu dolendo constat; sed etiam in exemplis istis dolorem morbum esse, jure contendere nequimus. Nul- lum enim testimonium a curatione nervum di- videndo peracta deducendum est, quoniam, per- spicuum est, tale sublevamen refugium esse tantum et minimè remedium scientificum, arte- que nostrâ imperfectâ concessum, unde neque qua mutatione functionis aut fabricae isti ango- res infandi pendeant cognoscere, vel remedia rationi magis consonantia adhibere, haud omni- no possumus. Dentis evulsio, sensûsque digiti destructio, quo jure cunque, rebus se ita habentibus, permittendae, nihilominus indicia sunt maximae infausta medicinae in melius progredientis, et per se spectatae, rationi fere tantum conveniunt, quantum operatio ad nervos ischia- ticos in vitiis rheumaticis artuum inferiorum di- videndos instituta.

Dolor tantummodo symptoma est—loquela —vox denique morbi, et eum adesse, cum hic aggressum fuerit, id demum malum est verum et verè dolendum. Nulla valetudo, ac ea quam parum vel nil doloris comitatur, adeo lethalis existit; veluti genera gangraenae quaedam, par- tium per algorem destructio, morbi omnes quibus

nomen, insidiosi aut impendentis, imponitur, qui raro animi attentionem cient, donec auxilia humana inania facta fuerint et saepe haud suspecti inter vitam omnino latent.

DE DOLORE NECESSITATI ACCOMMODATO.

Si igitur, uti liquet, artificium revera sit, a naturâ ad finem quendam insignem et utilem institutum, gradum ejus mensurae periculi vel potius necessitatis existentis accommodari debere haud ineptum est credere, et talis quidem de eo lex generalis lata est. Contra hanc sententiam forsitan argui queat, dolorem summum plurimas affectiones natura sua leves omnino comitari. Quantos cruciatus odontalgia et tic doloreux afferunt? Angor quantus a paronychia aut ambustione levi sentitur? in nullo tamen ex his de periculo vel minimùm cogitamus. Ut hujus rei ratio in aperto sit, tantummodo in memoria tenere oportet naturam de quaque parte servandâ aequè sollicitam esse, et quaecunque leves hi morbi fuerint, quatenus vitam, mortemve corporis universi spectat, easdem quòd ad partem dolentem, gravissimos esse et haud raro in ejus exitium irreparabile desinere. Periculo

locali dolor non male accommodatur—annotari quoque potest, dolorem acutum in affectionibus partium cum aliis comparatarum minoris momenti, eo magis necessarium fieri, quia turbationes istae vehementes et insigne scompagis universae raro comitantur, quae morbis organorum vitalium et majoris momenti nunquam desunt neque ullum indicium eminens adest, quod attentionem animi vel suscitare vel eam fixam tenere posset. Procul dubio concedi oportet, speciem dolorem spasmodicam appellatam saepe inflammatoriâ vehementiorem esse, dum simul fere usque minus periculosa est. Haec tamen concessio vera est, quod ad ejus effectus generalis tantummodo pertinet, quippe quia causa ejus excitans facilius submoveri queat, et quoniam sese intermittit, diutius perstare potest, minore tamen injuriâ viribus vitae illatâ. Mors aliquando fere instanter a vehementiâ immani doloris spasmodici, raro si unquam inflammatorii, quosdam corripuit. Contra ea credo, gradus hujus ardentis adfuisse, ubi vires vitae diuturnitati ejus soli succubuerunt, dum affectus prioris protrahendi consuetus, mentis alienationem vel morborum aliorum supervenientium accessionem praestitit.

Ratio effectûs doloris plerumque non tantùm ejus intensitatem urgentem, quantùm durationem perpetuam spectat. Per intermissiones vel remissiones doloris spasmodici requies est et otium quasi, quod quamvis breve plus minusve reficere potest; in inflammatione contrà, dolor permanet, nulla requies intercedit, nulla remissio, adeo ut tandem sub tali conditione vita amplius, subsistere nequeat. Discrimen inter naturas effectusque doloris spasmodici et inflammatorii eo qui contractionem uteri in partu protracto comitatur, cum eo qui in ejusdem organi inflammatione notatur comparato pulchrè ostenditur. In partu difficili nihil cruciatus puerperae superare valet, adeo quidem ut mirum fiat, quomodo natura tantum angoris sustinere possit; sed aegra intermissionibus potitur, et inter dolores somniculos carpit, viresque recipit. Nihil hujusmodi in inflammatione accidere potest, adsunt calor ardens, perpetuus et angor, qui otium nullum, requiem nullam interponunt, sed usque et usque exacerbantur et augescunt, donec vel remediis efficacibus adhibitis, vel morte miseranda abrumpantur.

DE SPECIEBUS DOLORIS DIVERSIS.

CAUSA doloris, haud secus ac origo mali, omnibus seculis attentionem scriptorum, medicorum praesertim sibi vindicavit. Nonnulli eam ex motu organorum sensuum, alii ex motu animae ipsius his organis effecto constare putarunt, multique inter quos summum BOERHAAVIUM recensere oportet, eam rectâ tensioni nervorum tribuere. Hae autem et hujusmodi conjecturae etiam verisimiliores solùm tanquam solertes et argutae haberi possunt, iisque pares sunt, quae subinde ad rationem physiologiae sensûs, cujus quidem dolor species est, reddendam temerè prolatae sunt.

Omnes nostri sensus, ii etiam qui vulgo indifferentes aestimantur, vel grati vel ingrati sunt; quorum priorum gradus vividi voluptatem, posteriorum dolorem constituunt. Nervos instrumenta esse, per quae impressiones illae suscipiuntur et ad cerebrum pervehuntur, ibique loci solùm perceptionem velocitate incredibili fieri novimus; sed hoc fere solum novimus. Qua ratione impressiones pervehantur, et quare quantitates rerum, aut textura partium, in quarum

contactum veniunt, perceptiones adeo inter se diversas excitent, pariter ignoramus. Haec inter arcana naturae reponuntur quae forsitan nunquam recludere poterimus usque dum physiologia vitae aut vis ipsa vitalis probe intelligatur.

Si physiologia sensûs fundamento omnino stabili niteretur, procul dubio, dolor in diagnosi inter morbos instituendâ multo majoris interesset; atque haud parum difficultatis istius, quae jam interdum medicum adeo moratur et impedit, exsuperaretur. Dolor etsi tam parum de eo bene sciamus prout injurias diversas morbosque quibus corpus humanum objicitur, vel facilitatem qua texturae diversae eo affici queant, spectat, dux est in opinionibus nostris regendis, insignis, saepe reverà solus.

Quod ad texturas attinet, nervosa, uti par esset autumare, sana acerrimè sentit, et cum irritata, vel inflammata fuerit, horrendum dolet, ea parte tantum ejus excepta quae nullum cum cerebro commeatum directum habet, veluti nervus sympatheticus cum ejus gangliis, qui dolorem parum sentire, vimque exiguam in musculos praestare videtur.

Textura mucosa, si modo sana, ubique corporis tactu delicatissimo instruitur, quod a sensu la-

biorum, linguae, tunicae conjunctivae, membranae narium pituitariae, urethrae atque vaginae acri constat; hae autem partes omnes inflammatione affectae longe minus cruciatûs quam quilibet opinaretur, sentiunt. Texturae serosa, synovialis, fibrosa, fibro-serosa, cartilaginosa, fibro-cartilaginosa, et denique ossea, dum sanae perstant, sensu omni carent, sed morbosae factae vehementer dolent, tempus erat quo defectus sensûs in osse totalis, notionem induxit, ei vitam quoque omnino defuisse; attamen eodem inflammato, morbi partium caeterarum acerrimi vix tantos dolores ciere possunt. Hujus abnormitatis ratio redditur difficilima esse videtur.

Textura dermoidea quae corpus obtegit, statu sano, gradibus sensûs diversis pollet; sicuti tamen inflammatur, eadem diversitas nusquam apparet. Dolor quando inflammatio accessit, plerumque acutus existit.

Constat, igitur, non modo sensus nostros causis plurimis diversis, quae eos excitant, admodum variari, sed partes quoque corporum nostrorum diversas gradibus et generibus sensûs sibi propriis instrui, unde series impressionum a se invicem discrepantium nascitur, si quando hae vel causâ eadem afficiuntur, vel morbo plec-

tuntur. Dolor omnis necessariò duobis generibus usitatissimis, lento scilicet et acuto, referendus est, quorum genus posterius in dolores, tensivum seu activum inflammatorium, spasmodicum, nervosum urentem, lancinantem, lacerantem, angentem, pungentem et rodentem sese dispescit, de quibus ordine jam proposito, ad pauca dicenda statim progrediar.

DE LENTO SIVE SUBACUTO DOLORE.

Hic morbus vetustos vel species inflammatorii vel nervosi plerumque indicat, nonnunquam vero affectiones aliquas admodum acutas veluti hydrencephalum comitatur. Dolor acutus in impetu inflammationum, affectionem praecipue membranarum, subacutus parenchymatis organi morborum monstrare, neque ut opinor injuriâ putatus est. Posterior tumores organicos aut extravasationem cerebro pressuram inferentes, atque rheumatismum vetustum quamcunque texturam afficiat semper comitatur. Vitia item carcinomatosa interdum comitari observatur et in iis plerumque vagus est, neque sede certa continetur; et denique syphilidis aliquando sequela, ossa maximè infestans, conspicitur.

DE DOLORE TENSIVO SEU ACTIVO INFLAM-
MATORIO.

DOLOR qui in inflammationibus cunctis ardentibus accidit, a sensu et tensione partium inflammatarum auctis tantùm pendere videtur, quae ambo ferè necessario ex impetu humorum aucto, et haec quidem saepissime ex effusione in telam cellulosa, oriuntur. Sensus partium auctus, illa conditio est teneritudo plerumque appellata et usque adeo cum vascularitate aucta in inflammatione accidente conjungitur, ut illum ab hac pendere ex usu censeamus. In statu, revera, etiam sanissimo, partes vascularitate insigni praeditae, semper sensu acutiore instruuntur; doloremque inflammatorium a tensione partium, quae hunc sensum auctum adeptae sunt, praecipue oriri ex iis quae in phlegmone communi observantur, perspicuum est; in quo quidem nullus dolor insignis urget, donec vascularitas aucta, et effusio forsitan inceperint, in quibus tamen si sese stabiliverit, proportionem aequam per totum morbi decursum, ambo-
bus retinet; quod subito desinit quoque, quam-
cunque saevus fuerit, simul ac tumor se dirum-

pit, aut arte patefit, ex notis ejus nequaquam minimè notabilis est. Hoc porro comprobatur cruciatu infando signisque ad constitutionem pertinentibus maxime formidolosis, quae accidunt, siquando materia effusa vel secreta exitum difficilem adipiscitur, veluti in suppurationibus profundis, ubi pus fasciis densis continetur; vel in iis minùs formidandis fortasse, sed vix minus dolentibus, ubi pus in thecis aut vaginis tendinum secernitur. Sensus acerrimus ita genitus nunquam ad unam quamvis texturam solam pertinet; magis minusve ad partes cunctas dissimiles, quae inflammatione corripiantur, propagatur, adeo quidem ut tunicae arteriarum ipsae ad sanguinis sui transitum sentiendum excitatae videantur, dolorque ex quâque systole cieatur vel augeatur. Hoc in plerisque inflammationibus acutis observandum est, et nomen ei speciei a GALENO dolori pulsativo appellato praebeuit. In exemplis istis ubi dolor ad quamque pulsationem incessit, a tunicis arteriarum teneris contractis fortasse oritur; alia vero sunt exempla, ubi sine dubio, earum distensione efficitur, veluti in artuum inflammationibus, si hi dependere sinantur. Hoc quoque in partibus vesicatis ita fit. In talibus postquam dolor omnis remiserit,

et superficies sanescere incipiat, actio connitendi congestionem pro tempore in omnibus vasis corporis extremis efficiendo, eum breviter, nec tamen gradu levi redire facessit.

Dolor denique inflammatorius nihil aliud esse videtur, nisi pressura quaedam interna diffusa ad superficies inflammatas et acriter sentientes applicata ; atque forsan angoris summi, qui inflammationes ossium cartilaginum et membrarum densiorum nihil omnino in conditione sua sana sentientium, ratio talis reddi potest, ea scilicet, ad dilatationem parum facilitatis habere, ideoque vasa inflammata et nervos per ea distributa compressionem auctam percipere oportere.

Quoniam, ratio doloribus spasmodico et nervoso medendi ab ea quae in inflammatorio tractando adhibetur, adeo discrepat, discrimina inter eos dolores bene nôsse medici maxime interest. Posterioris duratio, sine intermissione ulla, uti jam dixi, e notis ejus praecipuis una est ; ei tamen porro adjiciantur dolor motu et pressurâ auctus, et pulsus plerumque plenus et creber cum excitatione in universum auctâ, quae omnia priori desunt.

DE DOLORE SPASMODICO.

IN causâ doloris spasmodici propiore explorandâ, tantum profecto ignoramus, ut num contractio mûsculorum concomitans a dolore, an hic ab illa pendeat, judicatu difficillimum sit. Si sententiam ingeniosi DARWIN pro verâ assumere liceret motum, scilicet, et sensum ad gradum enormem provectos, simul existere nequire, cui quidem opinioni, plurima insignia favent; contractiones musculorum in exemplis fere omnibus pro conatibus quasi invitis ad dolorem subigendum vel saltem sublevandum, institutis, habere vellemus. Hec de actione uteri in pariendo verum esse patet, ubi dolor stimulus tantummodo ad contractionem cogendam a naturâ adhibitus esse, videtur. Ex eo, igitur fit, ut dolor renixui praesenti semper accommodetur, et fortasse quoque ut faeminae vitam otiosam et luxuriosam degentes, quibus vires musculosae minuuntur, plus angoris caeteris paribus, quam caeterae, quarum constitutiones non adeo debilitatae sunt, in pariendo patiantur. Quod autem actionem morbosum spectat, contractionem aut dolorem nunc causam, nunc effectum vice sua esse posse, et utrosque saepe symptomata simultanea morborum quorundam explicatu difficilli-

morum generis nervosi praecipuè, esse credo. Discrimina dolorem inflammatorium inter et spasmodicum jam narrata sunt; a nervoso vero discernitur, quod hic per paroxysmos vehementes ingruat, texturam musculosam potissimum corripiat, et cum quiete perfecta saepe vice mutuâ alternetur.

Dolor spasmodicus omnem praeter naturam musculorum contractionem comitatur; veluti in spasmis a concretionibus in ductibus biliariis aut urinariis—in dysuriâ spasmodicâ—in convulsionibus—in morbo tic douloureux appellato. Interdum remediis antispasmodicis dictis aut tonicis sublevatur, curationem autem perfectam ex morbo unde oritur bene tractato constare oportet.

DE DOLORE NERVOSO.

Hic uti nomen indicat, sedem suam in telâ nervosa plerumque habet. Gradibus diversis accidit a levi dolore rheumatismi vetusti, ad cruciatum summum cephalalgiae hystericae aut intermittentis vel odontalgiae; forsitan uti in exemplo postremo, affectionibusque aliis nonnullis, fines eum inter et dolorem spasmodicum, haud semper admodum accuratè definiuntur; et saepissime inter eos discrimina tam aperta sunt tet de iis seorsim agi possit.

Dolor nervosus etsi gradu temporibus diversis plurimùm variet, haud illis paroxysmis subitis et acerbis qui spasmodico accedunt, notatur. Aliquando summum angoris, sed non nisi gradatim, attingit; nunc per horas aliquot parum remissionis intercedente, nunc per spatia temporis multo longiora perstans, et haud secus ac febres intermittentes, saepe post intervalla certa impetus suos redintegrans. Unum exemplar ipse novi, ubi aeger horam diei ne minuto quidem fallente per paroxysmi accessionem enunciare potuit. Non, uti inflammatorius, partium affectarum motu augetur, et saepe a pressura levamen accepit; nisi quando ob diuturnitatem pertinaciorē teneritudinem induxit; effectum quidem haud insolitum doloris spasmodici aut nervosi, etiam quum nulla inflammatio accesserit: interdum a consensu cum partibus morboris longinquis pendet, et talibus in exemplis saepe admodum acutus est. Gradum ejus majorem minoremve a conditionibus diversis affectionis, unde oritur, niti oportet, saepe originem ex toto localem habet, saepius autem eandem perturbationi constitutionis cuilibet generali debet.

Affectiones generis rheumatici pleraeque non acuràte acutae, huic classi referuntur; hysteriae quoque, quae, quod dolores suos pariter ac cae-

tera indicia spectat, aliquando fere omnem cui corpus obicitur morbum imitatur; dolorumque eorum intermittentium, quae temporibus certis ingruunt et recedunt. Hi saepe a primis viis turbatis oriuntur, saepe a proclivitate haereditaria aut temperamento proprio.

Dolor sympatheticus, iste, videlicet, qui in parte quadam a sede morbi, cujus indicium est, distante oritur, in plurimis vitiis accidit, ejusque notitia quam perfectissima medico in diagnosi proponenda, prorsus necessaria est. Nonnunquam ab ea lege, aut consuetudine per quam sensum ab origine vel centro ad finem nervi referre solemus, pendere videtur, veluti si quis, crure amputato truncatus, pedis digitos lacerari aut laedi quasi errore fingit; aut morbis coxae aegrotans de doloribus genu aut tali cruciantibus conqueritur; aliàs, verò, ubi nexus partium nullus arctus aut manifestus conspicitur, ratio consensus explicari nequit. Hujusmodi sunt dolor capitis a ventriculo se male habente; raptusque musculorum sive spasmus in cholera. Exempla consensus usitatissima subjiciuntur dolores nimirum, genua, tibias, talos, plantasque pedum in morbo coxae, et nonnullis spinae vitiis afficientes; iique quinetiam, qui suras in partu ob nervos sacrales compressos, et in cholera, qua de causa ignora-

mus afficiunt; qui caput in cardialgia aliisque ventriculi molestiis, epiglottidem in morbis pulmonalibus, summum humerum in Hepatitide, infestant; qui denique cutem abdominis aut femur externum in nephritide molestè habent vel signa calculi renum, ubi hic in vesica revera haeret, aut vice versa induunt.

Nullae affectiones ac eoequae ventriculum inter et caput intercedunt, adeo difficiles explanatu inveniuntur. Cur enim, dolor adeo saevus interdum, ad alterutrum, vel utrosque oculos patens in levibus, uti videtur, ventriculi molestiis accidit, dum dolor nullus pyrosin pertinacem, scirrhum et carcinoma ejus visceris, comitatur?

Genus tertium doloris nervosi, id scilicet a le- sione aut irritatione finis nervi, saepe angorem, qualis depingi nequit, et nonnunquam in maniam desinit, suscitatur. Vitium est pertinacissimum et tractatu difficilimum, aliquando tantummodo nervo diviso, parteve ejus trunci excisâ sublevandum.

Jam ad eos dolores memorandos ventum est, qui saepissimè, etsi non semper ab operatione agentium externorum nascuntur. Dolor urens contactu rerum admodum frigidarum* vel admodum calidarum cietur, itemque ab actione

* Vide Opus MAGENDIE, p 90.

acidorum concentratorum, rerumve alkalinarum, et nonnullorum ex mineralibus venenis in ventriculo, multas autem affectiones internas, carcinomitosas uti opinor, praecipue comitatur. Dolor lancinans, jaculans, aut emicans nomina sua ab instrumentis quae sensus istiusmodi efficiunt, deducit plerumque spasmodicus est; sed impetus acuti affectionum ardentium et rheumaticarum haud raro ab eo incipiunt. Ægri eum tantum esse dicunt, quantum aliquis sagittâ trajet- tus sentiret. Saepe in arthritide vaga, et rheumatismo, in hysteria, nonnullis pectoris morbis iisque capitis vitiis quae ortum suum a debilitate nervosa deducunt, incessit. Cum dolore per- stante obscuro quoque qui tumores organicos in capite et hydrencephalum comitatur; vice mu- tua alternari conspicitur.

Dolor lacerans vel qui partes vivas lacerando excitatur, quatenus ab actione morbosâ solâ ori- tur haud ita saepe sentitur. Mulieris dolorem a se perceptum, inter dilatationem oris uteri ra- rius partium externarum, in pariendo, tanquam huiusmodi dixerunt dolores vellicantes, pun- gentes et rodentes a scriptoribus morbos internos comitari feruntur. Nulla exempla novi, ubi is- tos pro notis diagnosticis habere licet.